JADDUS
TRAGÆDIA
CONTUCCII CONTUCCI
SOCIETATIS JESU

HABITA

A

SEMINARII ROMANI

CONVICTORIBUS

ANNO MDCCXXX.

CUM

CLEMENTI XII.

P. O. M.

OLIM EJUSDEM SEMINARII CONVICTORI

SUPREMUM DIGNITATIS FASTIGIUM

Obſequentiſſimè gratularentur.

ROMÆ, MDCCXXX.

Typis Antonii de Rubeis, è Foro Rotundæ in via ad Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.



CLEMENS XII PONT. MAX.
Olim Seminarij Romani conuictor.
Girolamo Frezza Scul Romæ con lic. de Su

CLEMENTI XII.
P. O. M.

CONVICTORES SEMINARII ROMANI
FELICITATEM.



Atere BEATISSIME PATER, *ut ad commune gaudium, quò tibi delatum Ecclesiæ Principatum omnes gratulantur, nostræ quoque læ-*

titiæ fiat, & gratulationis accessio, quam si pridem erumpere gestientem continuimus in animo; nè serò tamen prodire quisquam putet, Tibi debemus. Cùm enim in omni rectè factorum genere Te ipsum æmuleris, atque ità vincas, ut novus quotidiè, quòd Te ipso major, imperium capere videaris; illud certè omnibus in tàm nova semper gratulationis materia præstitisti; nè quisquam Tecum serò gratularetur. Quam tàm egregiam virtutum tuarum copiam cùm taciti admiraremur; ità tanto tuo bono delectabamur, ut ex eo aliquid decerpi, & in nostrum etiam commodum redundare videretur. Memineramus enim, Te in hac domo, cùm non minus ætate, quàm virtutibus adolesceres, ità vixisse, ut jam tum, quantus vir evasurus esses, omnes facilè præsagirent. Quod cùm & ad ornamentum nobis, & ad lætitiam præclarissimum accidisset; gestiebat animus, aliquo certe debito obsequii genere beneficium hoc tuum prædicare; sed illud

nobi

nobis timori fuit, nè qui tàm faciles ad Te aditus omnibus præbes, unis tuis laudibus aditum præcluderes. Itaque optimum factu arbitrati sumus, si egregium aliquem ex Judaicis annalibus Pontificem seligeremus, in quem ità inspiceres, ut virtutes, & laudes tuas tanquam alienas laudare modestia quoque Tua posset, quas si tamen omnes intelligent tuas esse, noli Beatissime Pater *repugnare; nè dùm tuis adversaris, alienas deterere videaris. Cæpisti Tu quidem fructum virtutum tuarum maximum, cùm effectum est, ut tantùm omnibus imperio præstares; quantùm virtute præstitisti. Cæpimus earum & nos mirificum sanè fructum, cùm te in omni ætate absolutissimum omnibus ad imitandum exemplar præbuisti, in quod dùm quotidiè intuemur, curamusque, ut moribus Tuis vivamus, excipe,* Beatissime Pater, *provolutos ad pedes Tuos, & quà soles clementià, tueare.*

CA-

CAROLUS STORANUS SOC. JESU

In Provincia Romana Præpositus Provincialis.

CUM Dramma, cui titulus *Jaddus* à P. Contuccio Contucci nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate nobis a R. P. Francisco Retz Præposito Generali, ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus.

Romæ die 2. Decembris 1730.

Carolus Storani.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sacri Palatii Apost.

N. Baccarius Ep: Bojan. Vicesg.

JADDUM R. P. Contuccii Contucci Soc. Jesu Tragœdiam Jussu Reverendissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri attentè legi, typisque vulgandam censeo: Nihil enim quod morum honestati, aut Fidei Dogmatibus adversetur inveni; Quin imò Fabulæ texturam, styli candorem, Sententiarum ornatum, totum denique opus veteri Argumento, nova Allegorìa, Actoribus, & Authore dignum existimo. Romæ Kal. Decemb. MDCCXXX.

Michael Joseph Morei.

IMPRIMATUR.

Fr. Joachim Pucci Sac. Th. Mag. & Socius Reverendissimi P. Sac. Pal. Apost. Magistri Ord. Præd.

Ar-

Argumentum.

Jaddus Oniæ Pater Summus Hierosolymis Sacerdos Alexandro Macedoniæ Regi Annonam, & auxilia petenti negavit id sibi per Fœdus licere, quod cum Dario Persarum Rege pepigerat. Darium Alexander apud Granicum, & Issum paulò ante vicerat; & eo tempore Tyrum obsidebat, quà capta cum iratus contra Jaddum Castra movisset; Pontifex à Deo in somnis admonitus obviam Regi extra Urbem cum Sacerdotibus processit, cujus aspectu ità mutatus Alexander est, ut ad ejus se pedes venerabundus projiceret. Parmenoni causam quærenti respondit Alexander, se, cum in Macedonia de bello Persis inferendo cogitaret, vidisse quemdam in somnis eodem, quo Jaddus erat, vestitu, & ornatu, qui bellum hujusmodi prospere cessurum ope sua prædiceret. Itaque Beneficii memor veniam Jaddo, libertatem, & munera concessit, & in Templo victimas Deo obtulit, quem sibi apparuisse opinabatur.

Sanaballathus genere Cuthæus missus Satrapes in Samariam à Dario Persarum Rege ante Bellum Macedonicum Filiam Manassi Jaddi fratri in Matrimonio collocaverat, & ad Alexandrum a Dario deficiens, obtinuerat ab eodem, ut in Monte Garizim Templum construeretur, & ejusdem Summus Sacerdos Manasses inauguraretur ad infirmandas Judæorum vires. Joseph Antiquit. Judaic. lib. 11. cap. 8.

ACTO-

ACTORES.

JADDUS Summus Sacerdos.	HYERONIMUS CACHERANO ex Comitibus de Ofafco, Accademiæ Redivivorum Princeps.
ALEXANDER Macedoniæ Rex.	D. JACOBUS Marchio CARACCIOLI ex Ducibus Martinæ.
ONIA Jaddi Filius.	ALEXANDER Comes SPADA.
MANASSES Jaddi Frater.	D. PHILIPPUS ALOYSIUS Eques CARACCIOLI ex Principibus de Sanctobono.
JAIRUS Manaffis Filius.	D. CONSTANTIUS CARACCIOLI ex Principibus de Sanctobono.
SANABALLATHUS Manaffis Socer.	PETRUS FRANCISCUS Marchio GRIMALDI.
PHANUEL Sacerdos Jaddi adminifter.	D. JOSEPH SPINELLI ex Marchionibus Fufcaldi, & Principibus S. Archangeli.
PARMENO Alexandri Legatus.	D. MARTINUS Abbas, & Eques CARACCIOLI ex Ducibus Martinæ, Accademicus in Litteris.

Scena Hierofolymis extra arcem.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

Sanaballathus, Manaſſes.

Sana. JAm læta Terris exerit lucem dies,
Votiſque pulsâ nocte præcidit moras,
Quâ merita capias Regna;Solymæque arbiter
Sacris verendas infulis veles comas.
Regnabis: alta cùm Tyrus ſtaret, ſtetit
Fortuna fratris: victa ſuccubuit Tyrus,
Fraterque. Muros Macedo jàm vertit ſolo:
Cecidere Turres; ater it Cœlo vapor;
Victorque Gazam miles incenſam rapit.
Id tenuit unum Fata.
Man. Quid, ſocer, jubes,
Fatis id imputare, quod munus tuum eſt?
Te ſtamus uno: quòd faves, fatum puto.
Te nota virtus, notus & Regis favor
Almæ Sionis arbitrum, & Jaddi facit.
Sana. Quin ira Regis. Ardet inſolito impotens
Furore Macedo; priſca quòd Jaddi fides
Hæret Dario, ſpernit irati minas
Macedonis; huic & Perſidem præfert ſenex.
Nunquàm reſedit Regibus inultus dolor.
Quæcumque Sidon nupèr, aut Tyrus tulit,
Manent Jaddum: Fratris in Jaddi domum
Clades per omnes, & per everſam Tyrum
Pellæa ſævit ira. Nec medium dies
Tenebit orbem; Macedo cùm Solymam petet;
Ferroque muros franget, & Jaddum metu.
Adero: Furenti notus adjiciam faces.
Man. Sperare certa tribuis; at metus ſubeſt
Propior periclo; magna momento levi
Cùm nixa ſpes eſt.

 Sana.

Sana. Opibus accrescet meis.
Man. Muros coronat civis.
Sana. Exarmat metus.
Man. At suspicax Jaddus.
Sana. At fidit tibi.
Grassare fraude: tectus inolescet dolus.
Man. Præi: sequar per omne non timidus nefas.
Sana. Quodcumque contrà pugnet; expediam viam.

SCENA SECUNDA.

Jaddus, Manasses, Phanuel.

Jad. PHanuel, ad aras omnis in Templum ocyùs
Coeat Sacerdos.
Pha. Jussa non moror tua.
Jad. Quo summa rerum stet loco, Frater vides;
Trepidum per omnes æstuat vulgus vias;
Siletque luctu triste; nec satis tacet;
Stupor ipse loquitur. Frater i; curis modum
Impone Populi.
Man. Tanta quæ pavidam lues
Invasit urbem?
Jad. Regis adventum timet.
Man. Auget timore Turba, quod pavet, malum.
Jad. Ut ima fundo maria cùm vertit Notus;
Non una Pelagi est forma, nec dispar tamen;
Sed acta cæcis fluctibus spumant vada;
Stridetque turbo: trepida non iram capit,
Quâ fertur, unda: sic stupor, luctus, pavor
Populi pererrat ora. Vidi postibus
Cùm mæsta sacris Turba fleret Virginum;
Passoque matres crine palmas tenderent
Gemitu ejulantes misero, & illuvie obsitæ.
Commotus horruit animus; & unus tuli,
Quidquid futuri Solyma præsentit mali.
Man. Immota subitus pectora ità flexit dolor!

Jad.

Jad. Natis quod ægrè eſt, Frater; id Patri dolet.
Cùm ſceptra cæpi patria; cùm primùm ſacer
Caput hoc thiaras ambiit; Patrem priùs,
Quàm me Sioni credidi Regem datum.
Man. At juſſa facies Regis, & natos Pater,
Datamque prodes Perfidis Regi Fidem?
Jad. Nec juſſa Regis facio; nec muto fidem.
Dolemus; at non ſcelere redimitur dolor.
Egòn' ut reſolvam jura, quæ pepigi priùs;
Et me Darius hoſte nullum pejeret,
Ineſſe Cœlo Numen, aut Solymæ fidem?
Non ulla tanti Regna. Vos ò parcite
Lacrymæ meorum; Tuque non felix Sion.
Invitus iſta video, ſed patiar, mala.
Me dura poſcunt Fata, me Fides mori
Jubet? Feremus: eſſe ſi felix vetor;
At non & expers ſceleris: id victor dabit.
Man. Meliora ſpero.
Jad. Nec, Fides ſi poſtulet,
Pejora metuo.
Man. Quicquid incumbet mali,
Tecum ſubibo.
Jad. Frontis inceſtet Jubar
Cruore Luna: neſciat Cœlum dies;
Chaoſque Tellus regerat æternum prius;
Quàm ſancta violem jura, vel fallam metu.
Properate Cives arma: Tu ferrum cape;
Solymamque ſerva Frater; atque urbi excuba.
Me cura Templi poſcit; & Sion vocat.
Man. Ibo: ſuperbas Regis ulciſcar minas:
Nec arma metuo; ſæpè non forti manu
Potentiorum cecidit afflictus furor.
Jad. Te, ſumma Cœli Templa qui colis, Deus,
Idemque Solymæ, Numen æternum precor:
Si dura propiùs arma; ſi mæſtas vides
Lacrymas tuorum; ſancta dùm colitur Fides;
Tuère Cives, oro; nàm potes, Pater;

Voles & idem: merita meminimus tua;
Et quos vocatus ante dispuleris metus.
Nec ulla faciunt arma, quæ tamen paro,
Aut miles animos: certa tu fessis ades
Tutela rebus.
Man. Nuncius Regis subit.

SCENA TERTIA.

Jaddus, Manasses, Parmeno.

Jad. Effare, quid fers Parmeno.
Par. Regis minas.
Jad. Audita narras.
Par. Sed brevi quæ detonent
In te Sionis proditor.
Jad. Pati queo.
Par. Movet arma Macedo victor, & portis adest.
Jad. Adibo.
Par. Vanis precibus.
Jad. Haud preces paro.
Par. Confise frustrà mænibus bellum paras?
Paret cruento Græcia solo procubans;
Frænumque cæpit Assur, & supplex Cilix;
Tenditque Regi Persa Pellæo manus;
Postquàm cruore tumidus attollit vadum
Granicus, amne Persidem & pigro extulit.
Quæ sit minacis ira, quæ virtus ducis;
Eoa novit Terra, quique altum Tygrin,
Tanaimque potant; quotquot & Cœlo redux
Ubique Titan lustrat, aut cadens videt.
Qui nescit; hunc & urbium aggestus cinis,
Docetque Sidon, columen & Tyrus tuum.
Aliena metue pericula; cavebis tua.
Quicquid propinquum est; cecidit.
Jad. At stabit Sion.
Par. Quæ vana robur adjicit fiducia?

Jad.

Jad. Tu militi me fidere, & muris putas:
Caduca remur ista: spes major mihi
Attollit animos, Gentis exemplum meæ.
Videre Patres trepidam Erythræo Pharum
Pelago natantem; versa cùm retrò vada
Raperent superbos; at dehiscens pendulis
Præberet æquor hinc, & indè fluctibus
Populo viam.
Par. Fatemur; at patuit mare
Fugæ tuorum.
Jad. Duxit ad Regnum fuga.
Nec arma si contulimus; & abiret dies
Brevior triumpho; piguit imperio ducis
Parère Cœlum: stante Sol hæsit rotâ:
Tardumque labi stupuit occasus diem.
Par. Brevem dolebas ante; breviorem voles
Hodiè diem; cùm capta versis mænibus
Fumabit igne Civitas.
Jad. Muros Syrus
Hos antè cinxit; una nox lætho dedit.
Vincimus utrâque, Parmeno, Solis vice.
Par. Ut incitatà Fulmen è Cœlo venit
Præceps ruina; talis in Solymam ruit,
Jadde, Macedo: cæde vastabit domos:
Volabit ater urbis in Cœlum vapor.
Fer arma contra, ductor; atque educ viros:
Viros in arma poscimus.
Jad. Quæris viros?
Fœminea tumidum stravit Holophernem manus;
Jaële Sysaras occidit, vir Fœmina.
Par. Præterita memoras: facta qui Patrûm malo,
Quod instat, objicit; is malo addit dedecus.
Jad. Est, qui timori consulat præsens Deus:
Nec facta recolo tumidus, at gratus Patrûm;
Cui thure fumat ara, quem sacro Sion
Veneratur igne, stare cui Templum vides;
Hæc ille gessit; ille tutatur suos:

Par. Fidis Dario, video; sed victus jacet.
Jad. At non & icti fœderis victa est fides.
Par. Ardebit igne Solyma, si pergis, tuo.
Jad. Scelere peribit Solyma, ni pergam, meo.
Par. Pietas tuorum, si qua Te tangit, tuos
Solare.
Jad. Suades crimen; ut fiam pius.
Par. Mentis superbæ contumax pœnas dabis.
Jad. Et morte nobis potior, & vitâ est Fides.
Depone tumida corda: qui Solymam tegat,
Deum voco.
Par. Qui puniat, Regem voco.

SCENA QUARTA.

Manasses, Jairus.

Man. GRatare Patri Nate.
Jair. Nàm tantus modò
Cùm quatiat Urbem Turbo; quid grater Pater?
Man. Alios Procella mergit, eadem alios vehit.
Omitte curas: sæpè, quæ terrent, juvant.
Jair. Patrui quieta Regna depulso metu
Futura, qui nunc turbat; id dicis scio,
Gratorque Genitor.
Man. Sceptra quid Genitor tuus
Hæc si teneret?
Jair. Quæsò, quæ Patruus tenet!
Man. Mihi paret uni Solyma.
Jair. Quid Patruus?
Man. Jubet;
Solymamque tradit.
Jair. Nempè tutandam, Pater.
Man. Qui dederit arma; plura quàm volet, dabit.

SCE-

SCENA QUINTA.

Onìa, Jairus.

Onìa. SOllicita quæ Te cura plus æquo premit?
Vives: minaci turbo, qui Cœlo tonat,
In me recumbet: vulgus exterret pavor:
Ego poſcor unus.
Jair. Ecquod, ut vivam, nefas
Tantum recæpi!
Onìa. Macedo non odit ſatis.
Jair. Ego moriendo ſorte defungar tuâ.
Onìa. Genitus Jaddo non es.
Jair. Id prodeſt mihì,
Ut moriar unus.
Onìa. Unus ut moriar, mihi
Id antè profuit. Quid aufers, quod dedit
Mihì ira Regis?
Jair. Reddo, quod mavult amor.
Onìa. Permitte, Frater, Rege me irato frui.
Jair. Amore regis fruere, Frater, & meo.
Onìa. Si diligis me; vive.
Jair. Me ſuperſtitem,
Ut videat unquàm Solyma! Tantum non amo.
Non ſum reus; fateris: inſontem tamèn
Cur luce damnas! Victor id nondùm jubet;
Odiſſe nec Rex Macedo me tantum volet.
Onìa. At vive pro me.
Jair. Præeo, vel ſequar comes.
Si diligis me; patere, pro Te me morì.
Pro Te ſuperbum ſupplicis ritu ducem
Ocyus adibo: genibus advolvar feris:
Preces profundam: ſpero: ſi Regem prece
Non flecto; telis obvium pectus feram:
Iram invocabo: lucrum id erit; primus cadam.
Onìa. Cur vocibus me, Frater, exanimas tuis!

Tu ſceptra tractes noſtra; tu ſoſpes domo
Fruare patriâ. Parte, quâ volui, mihi
Vivam ſuperſtes. Jam vale; lacrymis memor
Aliquando cineres ſparge fraternis meos:
Omitte fletum: cauſa quæ luctum novat!

Jair. Utrumque doleo; nec innocens letho cadam;
Nec innocens ſuperero.

Onìa. Tu neutrum time.

Jair. Ego prodidi Te, Frater, & Patruum.

Onìa. Tace.
Quid hæc profari turbidus cogit dolor?

Jair. Timeo.

Onìa. Sionis cura Te movet; ſcio.

Jair. Lætitia potiùs... Plura me loqui pudor,
Dolorque prohibet.

Onìa. Verba perplexè jacis.
Regemnè metuis? Quid taces?

Jair. Lætum Patrem.

Onìa. Spe fruitur, hoſtes arma poſituros brevi.

Jair. Id credo, Frater; Solyma ſed paret Patri.

Onìa. Cuſtos ſuperbas hoſtium franget minas.

Jair. Nec Parmeno quieſcet.

Onìa. An quicquam modo
A' Patre metuis civibus?

Jair. Pietas vetat.

Onìa. Quid iſta faris ergo?

Jair. Nàm Fides jubet.

Onìa. Anceps trahit me cura: quid faciam?

Jair. Cave.

FINIS ACTUS PRIMI.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

Sanaballathus, Parmeno.

Par. CEdetnè Regi Solyma?
Sana. Cedet, Parmeno.
Obire muros nuper ut cæpit Gener;
Cum data poteſtas Urbis, & Vigilum fuit;
Adeunt frequentes miles, & mixti duces,
Nixique clypeis fronte dejectâ ſtupent.
Talem decebat urbe jam captâ modum
Civibus ineſſe: voce caſtigat Gener;
Et trepida mulcet corda; clàm metum fovet:
Conſpirat unâ Turba, quam pridem meis
Opibus coegi. Miles ægreſcit metu;
Majorque caſtra turbat, & muros lues.
Par. Nec Jaddus animos firmat, & notâ ſenis
Virtute nomen?
Sana. Excidit Jaddus metu:
Mileſque ſolùm meminit, & Civis ſui.
Quod imperitum vulgus oppreſſit mali,
Duci refertur: Fraudis authorem vocant;
Odère pervicacis & Jaddi fidem.
Priora multos odia, quos læſit ſenex,
Acuunt in omne facinus: erumpit diù
Compreſſa graviùs ira. Quos fidos ſeni
Præſenſit, alio cautus avertit Gener;
Adituſque turmis aliquot inſedit meis.
Reliquos amore cæpit, incautos dolo;
Quòcumque dubios malit, impellet citò.
Par. Te dona meritis paria, quæ poſcis, manent;
Tuumque Generum: juro Pellæam fidem,
Per & verendum gentibus Regis caput.
Et ſi revulſos Macedo malit aggeres

In-

Intrare victor; quà vocas, patentibus
Muris subibit ultor: introitum para,
Quicumque placeat: Ultio properet gradum;
Virtus recede Regis. Ut Jaddus cadat;
Tanti est, ità ingredi.
Sana. Sed effert hùc gradum
Gener.

SCENA SECUNDA.

Manasses, Sanaballathus, Parmeno.

Par. SIonis columen, & Princeps ades.
Man. Ut sit tua Solyma priùs, id studeo.
Par. Tibi
Solymæa reddam sceptra. Quò sequar, doce.
Man. Quâ Solyma propiùs aspicit natum diem;
Turrisque valli fracta subjectæ imminet;
Angusta muro Porta declivi latet,
Remota, & omni fraudis aspectu carens.
Hìc jàm meorum fida subsedit manus.
Hùc tacita subeat, Macedo cùm veniet, cohors:
Patebit ultrò Porta: gradientes teget,
Quæ tortuoso vallis accumbit jugo.
Sana. Quid reliqua Vigilum statio?
Man. Muros occupat
Placata Regi: precibus orant clàm duces;
Regnum capessam, Regis & jussa exequar.
Consilia nec dùm tacita mente explico:
Simulare certum est.
Sana. Perge; succedet dolus.
Par. Rectè est.
Man. Abite: nostra colloquia expetit
Jaddus; hujus obsidem natum paro
Tradere Macedoni. Mæstus accedit senex.

SCE-

SCENA TERTIA.

Jaddus, Manasses.

Jad. DIsposita, Frater, statio portis assidet,
Aditusque creber servat, & munit vigil?
Man. Parata, Princeps, omnia. Excubitor vias,
Et omne muri columen armatus tenet.
Pellæa franges castra, nè dubita, morâ;
Ultorque ferro sanguinem inimicum hauries.
Juga Tu Sionis serva: ego Solymam tegam.
Per hoc cruenta Macedo vel pectus priùs
Exiget adacta tela, quàm muros pede
Tangat superbo.
Jad. Miles an fidit satis?
Man. In omne Martis imminet periculum;
Sed dubius errat animus.
Jad. Extimuit, scio;
Nec causa vires addit, & præsens Dei
Tutela?
Man. Causæ miles attendit parùm;
Dubiamque potiùs prospicit belli aleam:
Et ira turbat. Video; succensent tibi.
Jad. Quid est?
Man. Parùm est.
Jad. Effare; quod petunt, ferent.
Man. Nec Regis implacabiles iras putant;
Nec Te tuis consulere: quam præstas fidem,
Probant; at illam cæde nè luant suâ,
Id extiment Jadde; dùm parcis tuis.
Nùm Regis, ajunt, pectus incensum parat
Mollire precibus? Natus en domi sedet;
In omne dùm nos pugna discrimen vocat.
Nunc Castra si Precator accedet tuus
Pellæa natus; robur adjicies tuis;
Odiisque Regem miles, & ferro petet;

Si

Si Macedo pugnet: forsan & flectes prece;
Finemque cædi natus, & bello dabit.

Jad. Non ulla natum tardat, aut preces mora;
Si sic odia dirimimus, & pacem queam
Precibus pacisci: fœdus at mecum volet
Inire Macedo, meque composito simul
Bello Darium persequi. Id vetor fide.

Man. Quin perge; præsta Persidi pactam fidem.
Testare tantùm sacra, per quæ fœderis
Fidem obligaris; Marte cùm nondùm suo
Instreperet Asiæ Macedo, quas & fallere
Nefas hominibus, conscias aras voca.
Regi placebit animus, & constans Fides.
Si quid supererit, natus evincet prece.
Obsequia bellis sæpè posuerunt modum.

Jad. Quod præcipis, faciam. Aliquis natum evocet.

Man. Nec abire natum, Frater, & charum caput
In aperta mitti bella, quàm durum Patri,
Non video.

Jad. Men' refugere, si quicquam pati
Et me, meosque publica monuerit salus?
Utinam cruore, Solyma, Te redimam meo!
Caput hoc petatur: omnium obiero vices.

SCENA QUARTA.

Jaddus, Manasses, Onia, Phanuel.

Jad. ADire Castra, Nate, Te Regis volo.

Onia. Pareo.

Jad. Labore disce jàm Puer tuo
Servire Patriæ: Solyma Te spectat: Ducem
Aggredere precibus; flecte furiales minas.

Man. Dùm nos paramus arma; Tu pugna prece.

Jad. Te cura Muri revocat hinc, Frater; redi.

Onia. Imperia Genitor nulla remorabor tua;
Sed nè domi quid sceleris accrescat, vide.

Jad.

Jad. Frater cavebit.
Onia. Arma cui credis, Pater?
Jad. Commissa Fratri.
Onia. Metuo.
Jad. Tu Patruum times?
Onia. Fratri, Pater, tu fidis?
Jad. An cuiquam magis
Æquum est? avita sanguinis jungit Fides.
Onia. Ambitio sæpè sanguinis damnat Fidem.
Jad. Qui facile vitium credit alterius, suum
Fatetur.
Onia. Index criminis raro latet:
Exquire: peccat æqua, qui credit nihil.
Jad. Tu Regis ora metuis, & moras trahis.
Onia. Eo Genitor; nec ora me Regis movent.
Vis, morte Patriæ sanciam pacem meâ?
Moriar: Furenti solus occurram Duci?
Pugnabo: causæ fido.
Jad. Degenerem, Puer,
Virtute tali nulla te arguerit dies.
Sed fare, quid de Fratre suboleat meo.
Audire vanos malo, quàm veros parùm
Metus cavère.
Pha. Rector ò Solymæ potens,
In hostis, oro, Numen avertat caput,
Si delitet quid sceleris; at nati metu
Exanimor ipse; fateor, & vanum puto.
Sed Frater unâ tacita cum socero tuus
Consilia miscet: Parmeno frequens adest;
Te fugere sensi: Fratris aùt socero tui,
Aut nuncio quid ipse Regis fidere
Valeas, tacebo: ne quid obturbent; cave.
Jad. Quid hoc? recæptum mænibus serpit nefas!
Timere cogor dubia; nè veris premar.
Tu summe Cœli Rector, infusâ diem
Qui luce retegis; si quid occultum latet;
Aperi, precamur; crimen authorem petat.

Obi-

Obire muros jubeo Te, Phanuel; adi
Vigiles; & omne cautus alloquium aucupa.
Eſt & meorum fida, quam noſti, manus.
Hæc urbis aditus luſtret, & vias frequens
Extrà recurſet... Nate tu mecum Duci
Referenda diſce dicta. Sed Fratris priùs
Retegatur animus. Conſilia dabit dies.

FINIS ACTUS SECUNDI.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

Manasses, Jairus.

Jair. RQ Etine ruentem, quæso.
Man. Quid fletu Patrem
Turbare pergis?
Jair. Castra tàm certo metu
Onìa Regis adeat! Id pateris Pater!
Man. Id Solyma poscit.
Jair. Solyma pugnaces manus,
Non verba quærit.
Man. Precibus armatur puer,
Qui nescit arma.
Jair. Precibus armeris Pater,
Qui bella nosti: Castra Tu Regis subi:
Utrinque vinces, precibus, & ferro Ducem
Man. Me cura poscit alia. Fortunam tuam
Tu disce ferre.
Jair. Fata, quæ Fratrem manent,
Ea ferre didici.
Man. Disce dominari tuis.
Jair. Nequeo, Genitor: id Frater eripuit mihi;
Habeatque solus: una mors capiet duos.
Man. Si sceptra renuis; servies.
Jair. Regnum feram.
Man. Et vincla ferre poteris, & Regno exui,
Captusque servos inter, & Graîos agi?
Jair. Pro Fratre possum Genitor, & Fratris loco.
Man. Non sic: Onìam tale jam fatum manet.
Præière Puerum literæ; & Regem docent.
Jair. Nàm qui nefas hoc audet in fratris caput?
Man. Sic jubeo.
Jair. Genitor, oro.

Man.

Man. Te invitum brevi
Regnare cogam... Frater adventat; Tace.

SCENA SECUNDA.

Jaddus, Onìa, Manaſſes, Jairus.

Man. NEc Onia Regem placat; & Solymæ diem
Extrahit, Jadde?
Jad. Mitto.
Onìa. Non moror.
Jair. Tuum
In caſtra natum Patrue!
Man. Civium ſalus
Ità poſtulat;
Jad. Sionis & cogor metu.
Jair. Timere Cives dicis? Adjiciet tuis
Onìa præſens robur: id notus pudor,
Virtuſque Nati ſpondet.
Man. Ad Regem pudor
Pueri valebit.
Jair. Regis ad Patrem minæ
Valeant quoque. Tui Patrue non Nati ſalus,
Amorque flectit ullus? In medios ages
Hoſtes Onìam, Genitor? Id volet Sion!
Jad. Me plùs meorum cura, quàm nati movet.
Quid Jaire times?
Jair. Dura præſagit timor
Neſcio quis animo fata; præſagit tamèn.
Man. Quid non taces! Onia, nè Regem time:
Si præſtat armis hoſtis; at conſtat fide.
Virtute pacem, ſpero, reſtitues tuâ.
Onìa. Quà Scythicus axe torpet hiberno dies;
Quà torret Afros Phæbus; in apertam necem;
Per & arma promptus ibo; dùm proſim meis.
Man. Onìa, ſtirpem, ſceptra quam deceant, probas;
Utere tuâ virtute... Tu vecors times.

Jair.

Jair. Ego metuo Pater! Eſt animus & par mihi;
Eſt ſanguis intrà pectus; ut proſim meis.
Ego Regem adibo, Patrue.
Jad. Non ſinet Pater.
Jair. Jubeto: Fratrem triſte ſi nihil manet;
Securus adeo: Fratris aut moriar loco.
Man. Quò pergis ultrà nate!
Onìa. Non patiar, meos
Te ferre caſus.
Jair. Hoſtis in noſtrum caput
Minus poteſt peccare.
Onìa. Peccarem in tuum
Ego graviùs caput.
Jair. Ut obeam pro Te, meum eſt.
Onìa. Ego poſcor.
Jair. Hæres ſceptra tu Patria obtine;
Tua jura Regni.
Onìa. Jura me Regni monent,
Ut omne primus occupem periculum.
Jair. Omitte.
Onìa. Ceſſa.
Jair. Morte regnabis meâ.
Onìa. Servit, ſuorum cæde qui Regnum tenet.
Man. Impone ſtudiis Frater inſanis modum.
Jad. Spes eſt; & ægro vita, quam nimiùm traho,
Dulceſcit animo; priſca dùm virtus Patrûm
Non omnis excidit. Quid, ò Pueri, apprecer
Virtute prò tantà; quid aut dignum Sion
Vobis rependat! Pergite; & cæptis Patrûm
Æquate nomen. Dubia mens hæret tamen;
Quid faciam. Utrique faveo; ſed cauſa eſt tua,
Jaire, melior.
Onìa. Quid incæptas Pater?
Jad. (Simulabo; tacitum Fratris ita crimen petam.)
Man. Conſilia mutas Frater?
Jad. Id Solymæ petit
Salus.

Man. Oniam Solyma ſed petit tuum.
Jad. Imitare natum, Frater: an nato negas
Solymæ ſalutem ferre?
Man. Tu præi tuo.
Jair. Eo, Patrue.
Man. Quò Nate?
Jad. Tu Regem times!
Eſt acer armis Macedo; ſed pius fide.
Reſtitue pacem, quæſo, Manaſſes, tuis.
Man. Idcircò bellum tracto.
Jad. Cui bellum paras?
Man. Jubes Macedoni.
Jad. Solyma ſed timet.
Man. Metum
Macedo facit.
Jad. Et intrà quod accreſcit malum.
Man. Authore me non fiet.
Jad. Ut noceat magis;
Authore ſempèr crimen occultum caret.
Man. Aperta loquere.
Jad. Labe cui pectus riget,
Perplexa, crimen verba quæ produnt, putat.
Man. Cui labe purus animus, & aperta autumat
Perplexa, vanum verba quæ fingunt nefas.
Jad. Teſtor verendi præſidem Templi Deum:
Occulta ſi quæ ſceleris inoleſcit lues;
Latere fruſtrà tendis: à tergo Deus
Ultor ſequetur.
Man. Noſtra nùm dubia eſt fides?
Jad. Quid eſſe dubiam pateris?
Man. Idcircò caput
Oppono certæ, bella quam ferent, neci;
Ut timeat à me Solyma! Tu turbas tuos;
Et pertinaci mœnia revelles fide.

SCENA TERTIA.

Jaddus, Manasses, Onìa, Jairus, Phanuel.

Pha. JAdde, rebus Numen auxilio tuis
Adest.
Jad. Quid affers?
Pha. Transfugam duro Sion
Carcere tenet.
Jad. Ubi captus?
Pha. Ad Regem via
Ducebat: hunc, obliqua dùm propero gradu
Itinera captat, fracta quà Turris diem
Prospectat ortum, tenuit errantem manus
Man. (Superi!)
Pha. Tuorum.
Jad. Civis, an peregrè satus?
Pha. Ignota capti forma.
Jad. Quid narrat?
Pha. Tacet.
Inscripta Regi litera hæc sinu abdita
Inventa tantùm est.
Man. (Crimen in aperto est meum!)
Jad. Quis author? Hostes Solyma, non Cives parit!
Prodor: latentem litera indicio reum
Certo resignet.
Man. (Prodor; audebo tamen.)
Jad. *Solymæa Regi sceptra Manasses suo...*
Hæc auspicaris? Nocte nec subitâ dies
Cœlo refugit! Nec solum claustris patet
Erebi solutis! Pigra cessastis diù
Fulmina; ferite: scelera quæ Cœlum petat,
Cùm nube sævit, vota si patitur tua!
Man. Illudor.
Jad. An te crimen illudit tuum?
Patebit ultrò Solyma; sed Onìam tene;

A' Patre Sionis arce redimetur: veni.
Hæc eſt Fides? Hic urbis excubitor! Sion,
Onia Regi, Solyma, Templum deditur!
Hoſtem timebam.... Macedo parce; debui
Fratrem priùs timere.

Man. Sed ſerò times.
Majora Macedo meruit. In Jaddum ocyùs
Irruite ſocii.

Jad. Quiſquis eſt Deum timens;
Petamus arcem.

Onia. Siſte.

Man. Tu captus lues,
Onia, Patrem.

Onia. Proditor.

Pha. Captus Patrem,
Jaire, lues.

Jair. Pœna quæ Patrem luat!

FINIS ACTUS TERTII.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

Parmeno, Sanaballathus.

Par. ADerit; citato Macedo festinat gradu.
Sana. At ut satis festinet; id rogat Gener.
Par. Quiesce; mora periculo quævis caret.
Sana. Timere sensi.
Par. Serus à victis timor.
Sana. At cautus est.
Par. Quid? Solyma turbas integrat?
Sana. Abjecit arma miles, & ducûm manus:
Consentit unâ Populus; at Jaddi fuga
Genero timetur.
Par. Arce conclusum timet?
Sana. Poterat capi.
Par. Laus Macedonem talis decet.
Fugam sibi, dum fugit, eripuit Senex.
Cælonè paria saxa sublimi jugo
Senem tuentur; an profundum in Tartarum
Vallis dehiscens? Æthna quà flammis tonat;
An quà perenni Caucasus gelu riget;
Jaddus arma quærit; an Cœlo latet?
Detrahet & altis abditum Macedo jugis,
Imâque Terrâ conditum; & Cœlo eruet.
Dedatur ultrò Solyma; virtuti Sion
Regis paratur.

SCENA SECUNDA.

Manasses, Sanaballathus, Parmeno.

Man. PArmeno, Regem ocyùs
Hùc siste.

Par. Mora nè noceat; id virtus tua
Jàm præſtitit.
Man. At urge.
Par. Parata te manent
Prœmia.
Man. Citato properet hùc Macedo gradu.
Sana. Aderit; timorem mitte.
Man. Præcipiti fugà
Ut Jaddus arcem tenuit; in medias agor
Vigilum cohortes: narro, quos pepuli metus;
Gratorque pacem: Vulgus inſtigat ſocer.
Ut luce Terras orta cùm ſpargit dies,
Fugère tenebræ; rebus & color redit:
Aut ut furenti navita prehenſus mari
Dejecta tollit ora; cum Terras videt:
Sic ægra luctu Civitas frontem exerit;
Et ſtare tandem Solyma me viſo putat.
Circumſtat avidum Vulgus, & læti duces;
Plaudunt; ſequuntur; ſenis & inviſi caput
Diris agunt, probriſque.
Par. Tuta nuncias.
Man. Tranquilla qui non metuit, afflixit ratem.
Par. Quid eſt, quod ultrà metuis?
Man. Ubi Populi prior
Fervor reſedit; & quod eſt factum putant;
Jaddus animo ſubiit: afflictum dolent;
Miſeret; amantque rursùs: ora militum
Mutata ſenſi: pudet; & in bellum volunt
Iterùm relabi. Nunc quod ancipitem precor
Te, Parmeno, per Urbis, & caſum meum,
Maturet arma Macedo.
Par. Prædico, brevi
Hùc affuturum.
Man. Parmeno, Regi obviam
Procede; propera... Porta, quæ ducit Tyrum,
Patebit: arcis cura me poſcit. Socer
Adeſto; Tu, quæ Regis introitum decent,
Exe-

Exequere. Mox ut Macedo veniet, obvius
Prodibo.

SCENA TERTIA.

Manasses, Onia.

Onia. Frustra refugis, & nostra abditus
Alloquia vitas: Fruere vinculis meis;
Animumque satia. Gaudio satis tuo
Non videor unus? Scelere vis toto frui?
Cupis & Jaddum aspicere? Non totus latet:
Natum intuère; crimen utrumque aspicis.
Man. Hos captus animos!
Onia. Scelera quos adimunt tibi.
Man. Morieris.
Onia. In me scelere non alio potes
Pius esse: Vitam, facere si cupis metum,
Minare.
Man. Vives igitur; ut fias miser.
Onia. Miser esse, pectus labe cui caret, nequit.
Man. At nemo felix esse, qui servit, potest.
Adempta tandem Solyma, Regnum, Parens.
Onia. Afflicta Solyma, proditum Regnum, Parens
Desertus: hæc memineris; & Regnum tene.
Man. Dùm Sceptra teneam; quolibet pretio placent.
Onia. Parata fraude Sceptra reciderunt brevi.
In Te caducum, fallor, an Regnum ruit!
Tremitque nutans Solyma communem trahens
Tecum ruinam! Trepida quid subitò patent
Sepulcra Patrûum? Cinis & infusus levi
Se tollit aurâ! Fallor; an Manes migrant!
En nube Cœlum fulmen iratâ quatit.
En & dehiscit Terra. Quò fugit dies!
Qui noctis ater Sydera revèlat vapor!
Superi; quid, oro! Fallor; an Mundus perit!
Man. Onìa, nimius mente te movit dolor.

Quæ monstra narras?

Onia. Scelera quæ manent tua.
Insultet aris hostis, & sacrâ impotens
Dominetur Urbe: non focis status cruor,
Adepsque fumet; Victimæ at cæsus loco
Cadat Sacerdos: Matribus mixtus Puer,
Et virgo capta barbaras nurus ferat:
Tu ductor arma suggeris, Patriæ faces;
Nec ultor hæc respiciet è Cœlo Deus?
Erepta tracta Sceptra: Jam sævit manu
In te cruentà crimen, & flagrum quatit.

Man. Abi.

Onia. Fruàre fraude.

Man. Te dedam neci.

Onia. Te puniendum crimini dedo tuo.

SCENA QUARTA.

Manasses.

Man. HOrrore trepidat animus; & sceleris meî
Objecta terret forma nolentem: Piget:
Cupioque rursus: Quid metus mentem quatit!
Quid ira flagrat! Sanguis at gelidus coit!
Grave est, recepto crimini pœnas dare.

SCENA QUINTA.

Manasses, Jairus.

Jair. GEnitor resiste.

Man. Nate, quis reducem mihi
Te facit? Ades; & in Patris amplexum rue.
Quæ fratris ad nos jussa? Nùm fallis fugâ?

Jair. Nec Nuncius recurro; nec redii fugâ.
Dimisit ultrò Patruus: ajebat, Deo
Se fidere uni; pergerem, & liber metu

Ad

Ad te redirem. Quò, Pater, præceps ruis?
Quid, oro, meruit Patruus? durus (piget)
Futurus augur rebus accedo tuis.
Quæ nuper hausi dicta! Quæ vidi!

Man. Mane:
Quò Frater animo fata fert casus sui?
Quid parat? An ore mæstus, & trepida stupet
Attonitus arce?

Jair. Qui prior frontis tenor,
Constansque vultus. Numine instinctum suo,
Et altiorem rebus humanis senem,
Genitor, videres.

Man. Arcis an muros frequens
Miles tuetur; spemque conciliat Sion
Propè capta fratri?

Jair. Spem putas ferrum tuo,
Murosque fratri facere. Vidi Porticum
Templi per omnem, pace ceù parta, sacris
Pendere muris arma. Sic Templo redux
Patruus jubebat: scuta suffigit tholis,
Gladiosque miles; nec timet inermis Sion.
Exigua muros servat, & portas manus.

Man. Quid sperat; aut quæ bella depositis parat
Jaddus armis?

Jair. Aliud armorum Genus;
Nova forma belli. Te Parens oro; time:
In arma superos vocat; & aris assidens
Armatur in Te precibus. His pugnat Senex,
Vicitque: nec mens vana præsagit; Time.

Man. Quid? Ante pugnam vicit?

Jair. An dubitas Pater?
Pugnavit, & Te vicit. In Templum ocyùs;
Ut hinc refugit, mœstus accurrit Senex;
Et jàm cruore cæsa largo victima
Imbuerat ignes: Patruus ardentes stetit
Supplex ad aras: Placida consequitur quies,
Soporque; si quies ea, aut sopor fuit,

At-

Attonita circùm Turba ſtipabat ſenem;
Cùm lætus ora Patruus attollens ſolo
Manus ad aſtra tendit; & lacrymis genas
Spargens ſeniles arma deponi jubet,
Metumque. Fidite, inquit, ò Socii; Frui
Jam pace fas eſt. Vicimus: Deus mihi
Adſtitit ad aras, triſtè qui bellum procul
Abegit, & hæc docuit. O mecum Sion,
Grates repende debitas; cœſos focis
Impone Tauros. Me jubet Regi obviam
Prodire numen. Ibo: Vos feſtis comas,
Muroſque ſertis cingite, & mecum ſimùl
Prodite; cùm Rex veniet.

Man. Hæc finxit Senex.
Commenta facilè credit, ubi proſunt, timor.

Jair. Oſtenta ſomnus obtulit! Vidi Pater,
Hæc cùm referret Patruus: Inſolitus decor
Eluxit ore; major & ſolitâ fuit
Figura formæ viſa. Nè vanum puta,
Prodeſſe tibi quod creditum brevi poteſt.
Tenes; Jaddi quanta ſit virtus: Vides;
Quid moliare. Genitor, ità prodis tuos,
Solymamque, noſque barbaro ſubdis jugo;
Nec dura cohibes cæpta; nec Deum times!

Man. Superi; quid oro? Natus, an nato mihi
Numen miniſtro loquitur? Exanimor metu.

Jair. Per has ego lacrymas, per & Jaddum precor,
Per ſi quid in me dulce, vel charum fuit;
Quò tendis ultrà! Siſte propoſitum nefas;
Placare fratri: Pronus ad veniam Senex.

Man. Quid faciam! Utrinque pugno... Placabor Seni?
Macedo minatur. Fratris in cædem ruo?
Parata pœna eſt: Ultor inſequitur Deus.
Æſtuo: Sed alea jacta. Quò rapior miſer!
Quod ſpontè cæptum eſt crimen, invitum trahit.

FINIS ACTUS QUARTI.

ACTUS

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

Alexander, Parmeno.

Alex. Satis triumpho Solyma, vindictæ parùm
Patuit meorum; sponte quos aditus dedit,
Quæsisse mallem:flamma,quà ferrum nequit,
Traheret ruinam. Pigra quid cessat manus?
Ardeo furore, Parmeno; cædem volo.
Age; ultioni redde præreptum locum.

Par. Quod occupavit Solyma, restituet Sion.
Digressus à Te Castra Manasses jugo
Disponit arcis: miles hanc vallat tuus.
Exequere cladem Macedo: quæ muros premet,
Eadem ruina dedet & Jaddum neci.

Alex. Me pertinax Jaddus, & fœdus meum
Fidens Dario spreverit! Cessit potens
Regnator Asiæ; Thessalum cessit solum,
Et Graja virtus: Quicquid indomitum prius
Natura, celsis ars & imposuit jugis
Cecidit, & imo victor æquavi solo.
Senex resistit unus: eripiam quoque
Cœlo latentem. Capta nec bello priùs
Urbs ulla me tam juvit; insidiis patens
Quàm Solyma: Tædet fraudis; at moras nequit
Vindicta ferre.

Par. Macedo, Manassi refer,
Si tua, quod optas, ira non sentit moram.
Per hunc tibi Solyma patet; Is Jaddum manu
Pepulit in arcem.

Alex. Mentis ò custos meæ,
Parmeno, quid hoc, quod pectus exagitat meum?
Piget fateri.

Par. Fare.

Alex. Non solitus premit

Ne-

Nescio quis animum terror: & furor calet;
Nec Jaddus ullum fecit, aut Sion metum.
Ex quo sed urbis attigi captæ solum;
Infusus horror, qualis intrantem solet
Lucos Deorum capere, me tacitus tenet:
Repugno; sed me contumax vincit malum.

Par. Te ludit ira; pectus & variè trahit:
Inane sperne forsan expertus malum.

Alex. Olim paterno simile quid tuli solo.
Meditabar animo, Persidem bello sequi;
Curisque mens undabat: oppressit sopor.
Cùm dormienti major humanâ mihi
Objecta forma est: vade, quod bellum paras;
Aggredere; Persis, inquit, & Tellus tibi
Eoa cedet: adero pugnanti: meis
Nocere ne quid, Macedo, te moneat; cave.
Circumstetit me subitus, ut vidi, tremor;
Similisque, quo nunc tenor, invasit stupor.
Geniumnè credam Parmeno, an Solymæ Deos
Turbare mentem?

Par. Templa, quæ latis vides
Porticibus, accola credit indigetem Deum
Habitare; sacris Populus hunc patriis colit;
Statasque rite victimas aris frequens
Infert Sacerdos: Præsidet Templo Senex
Jaddus, & sacra præit; huic fidit Deo:
At dexteræ tu fide, Rex hominum, tuæ.

Alex. Pugnabo, & aris victimam imponam senem.

SCENA SECUNDA.

Alexander, Manasses, Parmeno.

Man. MAcedo, Sionem legio jàm fossis tua,
Valloque cingit: cum voles; bello pete.
Et infrequens hanc miles, & fractus metu
Jaddus intrà servat. Ut præsit tuis
Socerum reliqui. Signa sed in arcem prius,
Quàm

Quàm Macedo moveas; parte, quà potuit capi,
Dedam senem: vocatus hùc jussu meo
Aderit Onìa. Pignus at fidei meæ,
Et obsidem Rex interim natum cape.
Te duce labores, Macedo, militiæ Puer
Discat, tibique serviat.

Alex. Meritis brevi
Prœmia feretis paria. Tu fidem Puer
Imitare Patris.

Jair. Quò Patrum virtus præit;
Impavidus ibo.

SCENA TERTIA.

Alexander, Manasses, Onìa, Jairus, Parmeno.

Man. Macedo, natus en tibi
Adest Jaddi: viva casuri senis
Fer ante pugnam spolia: captivum Gregem
Sequatur; aut si malit ulcisci tuus
Se furor; in uno, quos petas, geminos habes.

Onìa. Mortem minaris? Obvium caput fero:
Reclude ferro pectus; & per hoc latus
Adigatur ensis, Macedo, quo cadet Pater.

Jair. Quid Onìa, Macedo, meruit?

Man. Insanus tace.

Onìa. Extrema si quid vota morituri valent;
Id oro tantùm; morte contentus meâ
Miserere Patris victor, & fessi senis
Ignosce capiti.

Jair. Parce, Te precor, Patri,
Natoque Rex.

Man. Utrumque Rex dedas neci.

Par. Meruere.

Onìa. Spero: Numen afflictis adest.
Tantùm, minarum si quid in geminos cadit,
Defungar unus.

Jair. Morte te sequar meâ.

Man;

*Man.*Quid Onia ſperas?
*Onìa.*Criminis pœnas tui
Te redditurum;
*Alex.*Me Sion pridem vocat:
Eatur: in te pœna ſtatuetur brevi.

SCENA QUARTA.

Alexander, Manaſſes, Onìa, Jair. Sanaball. Parmeno.

Sana. MAcedo.
Alex. Quid ore trepidus attonito ſtupes?
*Sana.*Jaddus ad Te properat.
*Alex.*An puduit fugæ?
*Sana.*Per media lætus Caſtra ſecuro gradu
Te quærit ultrò.
*Man.*Quid parat?
*Jair.*Dudùm, Pater,
Prædixeram.
Par. Te precibus obteſtans Senex
Se dedet.
*Alex.*Aures precibus obſtruxit furor.
Properet; & ultrò mortis eripiat moram.
*Sana.*Aderat in armis miles; & jugis ſedens
Arcem obſidebat legio: cum ſubito graves
Patuere Portæ. Prodit albatus Senex,
Albique Proceres: qualis ad Feſtum diem
Venire gaudet; talis in medios frequens
Ibat Sacerdos: Fronde velabant comas
Revincta ſerta: non manum ferri rigor,
Latuſvè cingit ullus. Extemplò tua
Siluere Caſtra: mutua reflectunt metu
In ſe ora vigiles. Quà Senex ibat; loco
Decedit omnis legio: ſtat clypeum tenens
Haſtàque nixus miles, & trepidus ſtupet.
*Jair.*Spera.
*Onìa.*Patrem reſpexit è Cœlo ſalus.
*Man.*Nec arma miles ſtrinxit, & Jaddum tenet?

Sana.

Sana. Me quoque, furore percitus licet senem
Diripere vellem, subitus oppressit stupor.
Aliquid fuisse crede, quod Turmis metum
Fecerit; an alacris subita majestas senis!
Numennè turbans Castra! Quod potui, prior
Macedo cucurri Nuncium apportans tibi.

Alex. At non inanis me quoque capiet stupor.
Duc, age.

Sana. Resiste ... Quem petis, senex venit.

SCENA QUINTA, ET ULTIMA.

Jaddus, Alexander, & reliqui.

Jad. ADes Pelasgi magne Dominator soli.

Alex. Quem video! nova quæ monstra!

Man. Rex capi jube.

Alex. Jadde, pronus pedibus advolvor tuis.

Man. Rex, oro.

Par. Macedo!

Jad. Numen, hoc erat; Duci
Quòd me volebas obvium! Afflictos levas.

Alex. Numen, Sacerdos, placat iratos idem.
Vive; & Sionis arce prospiciens tuos
Fruare Regno: Solyma fit potens; metu,
Et hoste careat; Te Sion felix duce
Regum potentes frenet, & subigat minas,
Pacemque Populis reddat. At si quid potest
Accrescere Solymæ, vel id Sion petit,
Majora Jadde rebus adjiciam tuis.

Jad. Rex lætiora reddidit favor tuus,
Quæ teneo sceptra.

Par. Macedo, quis tantam modus
Reflexit iram?

Alex. Veste velatum pari
Nocturna nobis obtulit Deum quies.
Is erat, paternâ quem priùs vidi domo.
Talis verendum cidaris ornabat caput;
Talisque, memini, fluxit ad pedes chlamys;

In-

Inceſſus idem. Perſidem is pridem mihi
Ceſſuram, & Aſiæ Regna domiturum Deus
Prædixit ultrò. Spero, quæ reſtant: Deum
Adoro, cujus nomen inſcriptum refers;
Et Te, ſupernas qui geris Dei vices,
Jadde, veneror.

Jad. Perge: Quòd Solymæ faves;
Te facilis alto ſpectat è Cœlo Deus.
Vinces; & anni quà vagus Rector premit
In ora ſeptem Nilùs errantes aquas:
Rubroque præceps Tygris invehitur mari;
Quà mollis Indus amne Gemmifero ſonat;
Potière Regno. Vera cecinerunt Dei
Reſponſa vates; novit & Cyrus prior;
Aſiæ Pelaſgum Regna domiturum Ducem.
Tu Grajus Aſiam victor Imperio reges.
Equidem ſciebam; pacta ſed Regi fides
Junxit Dario; vetuit & bellum ſequi.

Alex. Æterna tecum, Jadde, me junget Fides.

Jad. Accede Nate.

Onia. Genitor, in Patrios libens
Sinus recurro. Genitor en reddor tibi.

Jad. Utrumque Solymæ, Nate, reſtituit Deus.

Alex. Adimite Puero vincla. Vos veſtro modò
Parete Regi.

Sana. Vincimur.

Man. Dedo manus.

Onia Ignoſce Genitor.

Jair. Patrue nè ſævi.

Jad. Tibi
Jaire Patrem reſtituo; Patruum tibi,
Onia. Pœnâ quos ſcelus punit ſuâ,
Sanare veniâ malo.

Alex. Nùnc, oro, Pater,
In Templa ducas. Victimas feram Deo.

Jad. Eamus: aris meritus exundet cruor.
Ut ſceptra teneas; diſce famulari Deo.

FINIS ACTUS QUINTI, ET ULTIMI.